

Clemens
Alex. 2.
Stroma-
ton.
Basilidis
Πεγαί-
μας
Appendices.

Peccatoris
cor simile est
diuersorio.

professi essent, deinde in cecos errorum la-
byrinthos prolaberentur, non modò diuer-
sum peccati fomitem ab infito virtutis amo-
re agnouerunt, sed etiam plures, easque di-
uerfas animas in vno homine statuerunt: quo-
rum quidem principes Valentinus, & Basi-
lides, vt Clemens Alexand. author est, exti-
terunt. Basilidis namque sectatores, vt idem
refert, vitia, & animi perturbaciones con-
sueuerant vocare Πεγαίμας; hoc est appen-
dices, & ea esse quosdam in essentia spiritus
appensos animæ ratione prædita, per quan-
dam perturbacionem & confulsionem princi-
palem docebant. Sed & alias rursus trade-
bant spirituum adulterinas, & diuersi gene-
ris naturas iisdem adnasci, vt puta lupi, si-
miæ, vili: quorum proprietates, quæ visio-
ne in anima apprehenduntur, animæ cupidi-
tates dicunt animantibus assimilare. Qua-
rum enim ferunt proprietates, earum opera
factique imitantur. Nec verò solum cum rati-
onis expertium animantium appeticionibus,
& visioibus coniunctionem ineunt, & fami-
liaritatem: sed etiam plantarum motus, &
pulchritudinem ex eorundem sententia emu-
lantur; propterea quòd plantarum quoque fe-
rant proprias appendices. Hæc Clemens, ex
quibus concludit: Ego equi Durij, vt est in
fabulis, similitudinem quandam gerit speciém-
que homo, qui tantum spirituum exercitum
vtero gestat. Valentinus tamen, alter eius-
dem sectæ princeps, diuersorio similem dice-
re maluit, quòd peregrini quidem ceteri, &
à salute hominis auerti spiritus viderentur: at
vnus quidam eorum præ ceteris, diuersorio
similem cor expurgaret, ac diuina luce
perfunderet. Nam est vnus bonus, inquit,
cuius fiducia est ea, quæ sit per filium mani-
festatio, & per eum solum cor potest fieri
mundum, ex corde extruso omni maligno
spiritu. Multi enim in eo habitantes spiri-
tus id mundum esse non sinunt. Vnusquil-
que enim eorum propria efficit opera, sape
non conuenientibus insultans cupiditatibus.
Quapropter mihi quidem videtur cor non
esse ab simile diuersorio. Illud enim perfora-
tur, & effoditur, & stercore sape repletur,
cùm homines se petulanter gerant, & locum
non omnino curent, vt qui sit alienus. Eo-
dem modo cor quoque, cùm, quamdiu eius
nulla cura geritur, sit immundum, & multo-
rum demonum habitaculum. Postquam au-
tem id inuiserit, qui solus est bonus pater, fan-
ctificatum est, & luce resplendet: & sic, qui ta-
li corde est præditus, beatur, quoniam Deum
videbit. Hactenus Valentinus. Quoniam verò
ex eo regno appendicum sequi videbatur,
vt vis afferretur animæ, & libertas voluntati
eriperetur, idcirco Basilidis polypsychen Ili-
dorus eius filius cum libero arbitrio concilia-
re studuit, & errorem patrum omni modo
confirmare. quibus argumentis, statim ex ipso
audies, etenim de ea re non pauca disseruit.
In eo libro, quem scripsit de adnata anima,
de quo hæc quæ sequuntur Clemens deliba-
uit. Si enim, inquit, alicui persuaseris non ef-

se animam vnus partem, (sive naturæ) vi autem
appendicum fieri ea quæ sunt deteriorum
vitiæ, ac perturbaciones, non leuem præ-
textum habebunt homines scelerati dicendi,
coactus sum, abductus sum, coactus feci, non
volens operatus sum, cùm ipse fuerit dux ma-
lorum cupiditatis, & cùm appendicum vio-
lencia non depugnarit. Oportet autem, cùm
parte ratiocinativa facti sumus superiores, mi-
norem quæ est in nobis creaturam non videri
superare. Huc vsque Iliidorus. Sed mihi iam
satis supèrque scripsisse videor de variis opi-
nionibus hominum, nunc denique rationibus
subductis summam conficiamus. Censet igitur
Plutarchus, frequenti mutatione homi-
nem alterum fieri, ad eum ferè modum, quo
Clemens Alexand. bombycem immouari de-
scribit. Bombyx, inquit, primùm vermis, dein-
de aspera: ex eo nascitur eruca: post quam in
tertia metamorphosi innoatur papilio, quem
nonnulli Græci appellant γένυδαλον, ex quo lon-
gum stamen ducitur. Arasps autem, sive po-
tius Xenophon hominem duplici anima con-
stare docet, altera generosa, vili atque im-
proba altera, quomodo fortè videmus Casto-
res, seu fibros, & alias ancipites bestias, seu
amphibia animalia, partim quidem cum pisci-
bus, partim etiam cum terrestribus corporis
substantia, & viuendi ritu conuenire. Casto-
ras egregiè describit Olaus Mag. in hist. re-
gionum Septent. De hyanis vrtramque es-
se naturam, & alternis annis esse mares, al-
ternis fœminas fieri. Ausus est etiam Vene-
tus Platonem solidosque, vt ait Strabus, Iu-
dæos secutus, hominem utròque sexu ab ini-
tio creatum mentiri. Tamest dudum S. Au-
gustinus lib. 3. de Genesi ad litteram, eum
errorem explorat. At Basilides vnam qui-
dem animam hominem habere dixit, verùm
ex commercio aliarum rerum, quibus vitur,
alias plures inferi, atque adhaerescere, ve-
lut appendices: haud secus quam teredines
ligno, intellinis lumbrici, reliquo corpori pe-
des agnasci solent. Postremò Valentinus,
si quid forte diuersam eius sententiam à Ba-
silidis opinione credimus, hoc sentire vide-
tur: præter appendices, plures solidos spi-
ritus vnum hominem incolere, non alia ra-
tione forsitan, quam qua pinnophilax si-
mul cum pinna eandem concham subire so-
let, aut fœtus matris alium occupat, vel et-
iam dæmones energumenos obtinent, aut
Pythones eos, qui de ventre loquuntur.

Hæc omnia tamest, rem quasi per trans-
ennam spectantibus, nonnullis probabilibus
coniecturis niti videantur, à veritate tamen to-
to celo aberrant. Nam quod afferunt ho-
minem perperua vicissitudine mutari, ni-
hil moror: facile est enim eiusmodi argumen-
tum multarum rerum collatione refelli. Vidi-
stine vnquam, Philo ait, columbæ cerui-
cem solaribus radiis expositam quam multis
modis colores variet: puniceum, ceruleum,
igneum, & carbunculi speciem referretem, pal-
lentem item rubetamque, & alios omnigenos,

Appendices
non pugnat
cum arbitrij
libertate.

Clemens
Alex. pæ-
dag lib. 2.
Quot modis
ab antiquis
homo mul-
tiplex est
habitus.

Plinius 1.8.
natural.
hist. c. 29.
Georg. Ve-
netus tom.
1. problem.
probl. 19.
S. August. l.
3. de Gen.
ad litteram
c. 12.

Consultatio
precedentiũ
opinionum.
Philo lib.
de temulic-
tia.